

OK 385,22.

(X 1883882)

II n  
818

GERMANI VIGILIS  
AD  
SECURE SOPORATOS GER-  
MANOS  
CLASSICUM,  
UT AD FERALE GALLICI-  
NIUM HOSTIS GALLI EVI-  
GILENT.



GERMANOPOLI,  
APUD ELEVATHERIUM GALLOMISUM,  
ANNO M. DC. LXXII.

21

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SAALE)

BIBLIOTHECA  
PONTICKAVIANA



TO THE  
HONORABLE  
MEMBERS OF THE  
LEGISLATIVE  
COUNCIL OF THE  
STATE OF  
NEW YORK

REPORT  
OF THE  
COMMISSIONERS OF THE  
LAND OFFICE



**G**ermanus  
 ad  
 Germanos  
 Ad Arma, ad Arma!  
 Populares!  
 Hostis vester ante portas est.  
 Vicini paries ardere incipit, vestra res agitur.  
 Horrisona Bellonæ tuba  
 clangore terrifico  
 communis Patriæ jam quassat latera.  
 Arrigite aures,  
 Gallus cantillat venenato gutture.  
 Aperite oculos,  
 Gallus superbe cristam erigit,  
 alas vibrat, caudam expandit, calcaria acuit.  
 Cantillat  
 aliis terribiliter, suaviter aliis, perniciose omnibus.  
 Albæ Gallinæ filius gravidus est,  
 Forsitan Basiliscum excludet,  
 qui halitu tabifico vos afflabit miseros.  
 Surgite tandem mortui,  
 Venite ad tribunal,  
 Libertati vestræ dies dicitur.  
 Evigilate,  
 Coronati, Purpurati, Togati,  
 ad ultimum hoc gallicinium,  
 Lethale & fatale vobis vestrisq; omnibus.  
 Ubi est  
 Fortitudo tua Aquila? robur tuum Leo? vigor tuus Rosa?  
 Et vos  
 Teutonici Imperii Artificites,  
 Ubi prudentia, perspicacia, & vigilantia vestra est.  
 Proh Deum atq; hominum fidem!  
 Dormitis? tacetis? quiescitis? secura vobis omnia?

Et tamen

Scopum hostis vestri inveterati perspicitis,  
Prælua Martis adspicitis,  
Effecta armorum sentitis,  
Propugnacula vestra erepta scitis.  
Quis veteranus vestra occupat pectora?  
Quænam Erynnis vestra enervat consilia?  
Quodnam glaucoma vestra obnubilat lumina?  
Num vesana invidia?  
Vel perniciofa discordia?  
Aut terror aliquis panicus?  
An vero auri sacra fames vos reddit profanos?  
Forfan rem acu tetigi.  
Germania enim jam in seculo vivit aureo.  
Auro namq; vendit omnia.  
Dignitatem, Libertatem, Conscientiam.  
Auri imperio plusquam Despotico subiacet.  
Et tamen auro caret usq; ad miseriam,  
Auro vanitates care redimit exoticas,  
Ultra montanas & ultra Rhenanas maxime,  
Quo eodem ipso auro postea  
Inescatur, excæcatur, enervatur, enecatur misere.  
Eheu nos miseros!  
Ab incitas fere res nostras redegit superba vanitas,  
Fere, splendide miseri, nuda tergora  
Monstramus Gallicis nos merito deridentibus.  
Ludibrio sumus externis omnibus,  
Et tamen antiquitatis istis novitatum modulis,  
Renovatisq; istis modulorum antiquitatibus,  
Quibus nos versuta divexat spoliataq; Gallia,  
Morionum iastar magis magisq; delectamur,  
Nobisq; miro modo placemus stupidi.  
O caram stoliditatem!  
O stolidam caritatem!

Overfipelles rebusq; suis Germanice studentes Gallos!  
O incautos & res suas Gallice dilapidantes Germanos!

Olim

Olim non erat sic.  
Hodie Germanus eadem, qua olim Phryx, notatur macula.

Olim  
Galli ad auditum Germanorum nomen contremiscebant.

Hodie  
Germani nomen Gallorum cum tremore adorant.

Olim  
Germania academia & palæstra erat heroum,  
Hodie

Brabevterium est rarissimorum capitum.  
Vertumnorum & nugatorum theatrum.  
Exploratorum & subsannatorum receptaculum.  
Cucurbitatorum & sangvisugarum spelunca.

Ita  
Gallorum plena nunc sunt omnia,  
Eheu nos perditos!

Quorsum res redacta est?

Olim  
Crescens seculi malitia crescentem pariebat prudentiam,

Hodie  
Crescens Gallorum malitia crescentem parit  
Germanorum stultitiam.

Olim  
Germanorum fidelitas dominantibus exteris Clypeus  
erat domesticas contra insidias.

Nunc  
Germana infidelitas in propria sævit viscera.

Olim  
In proverbium ibat Teutonica constantia.

Nunc  
Teutonum levitas ludibrio est  
Ipsi levitati & inconstantia.

Olim  
Orbis imitari conabatur gravitatem Teutonicam.

Nunc  
Teutones gaudent simiarum videri simia,  
stultorum histriones, histrionum ludibria.

Quid, quæso, Germani in Gallia?

Quid Galli in Germania?

Illi omnes fere

Lingvæ notitiam morumq; veneres se prætendunt quærere;

Peccandi licentiam intendunt carnisq; veneres.

Corruptelas inveniunt, occasiones arripiunt.

Quotus, quæso, popularium ex Gallia redux melior?

Veronenses eunt, Placentini redeunt.

Josephi eunt, Absalones redeunt.

Cræsi eunt, Iri redeunt.

Generates eunt, Florentini redeunt.

Theophili eunt, Alastores redeunt.

Philosophi eunt, morosophi redeunt.

Et sero tandem

Pecuniam, sanitatem, scientiam, modestiam,

Castitatem, Numinis reverentiam, integritatem,

Perdita omnia plorant.

Paucos excipe,

Quibus de meliore luto finxit præcordia Titan,

Hi vero

Non ardorem mores nostros addiscendi,

Sed studia ære nostro ditescendi, afferunt.

Non meliores nos sed vaniores reddere satagunt.

Aulis, exercitibus, officinis, theatris,

Specioso sese obtrudunt nomine,

Ut secreta nostra explorent,

Simplicitatem nostram traducant

Et argento probe emunctos variis inquinant vanitatibus,

reddantq; voluptatibus effeminatissimos.

Nil præ se ferentes nisi lepores, elegantias, civilitatesq;:

Sed latet angvis in herba.

Philistæi post te, Samson, cave.

Si non vis falli, fugias consortia Galli.

Ploranda Patriæ est cæcitas,

Viperas & bufones in sinu nutrientis.

Videmus, ast ridemus, non lugemus.

Rimamur, miramur, non contristamur.

Hono-

Gentem dissidijs laude beamus argutiarum architectos,  
omnis gesticulationum puerilium magistellos,  
Vanitatum Professores,  
Pudicorum seductores,  
Castarum corruptores,  
Mille & mille artibus instructissimos.  
Ad propagandam & colorandam artem meretriciam.

Ita  
peruersam simplicitatem nostram  
vel si mavis  
simplicem peruersitatem nostram  
Vitium fallit virtutis specie,  
Excipe paucos, videbis,  
Reliquos omnes deteriores fieri Gallorum consortio.  
Inscientibus naevos suos affricant,  
Imprudentibus retia expandunt,  
Nil tale cogitantes inquinant.  
Ita in obscuro serpit Gallicum contagium.

At  
In fine videbitur cuius toni.  
Medicina morum quod nobis videbatur antea,  
Mox in animae degenerare videtur toxicum.  
Rerum adsunt testimonia,  
Quid ergo verbis opus est?  
Sed surdis narratur fabula.  
Germani sumus,  
id est,  
boni homunciones.  
Visne hoc Gallice?  
Simplicitate insignes, illustres imprudentia,  
Bardi, Grobiani, rustici,  
Imitatores quidem venustatis Gallicae,  
sed ridiculi, infelices, semibarbari.  
Bene, me Jupiter!  
Sumus quod volumus,  
Simus ergo quod nolumus.  
Quod possumus nolumus, quod volumus non possumus.  
Sem-

Anglos nuper  
quid bello commisit atq; Batavos?  
Nonne Politica illa Neutralistarum diabolica  
Mel in ore, fel in corde,  
Laudem in pactis, fraudem in factis.  
Utriq; parti offerens, tectis callidisq; consiliis?  
Candjam  
Orbis Christiani olim, eheu! propugnaculum  
Quid perdidit, nisi affectata discordia,  
Cum hoste Dei, ecclesiae, imperii colludentium,  
Semper aliud dicentium aliud agentium.  
In propatulo est cordatis,  
Quid facturus fuisset alter dux Gallicus,  
Ultimo bello Hungarico,  
Si non latuisset alterum  
Perniciosa exercitui Christiano voluntas regia.  
Utriq;  
Si violandum est jus,  
Regni causa violandum est.  
Scilicet,  
Non pietas hodie regna firmat, sed status ratio.  
Cathedras ista defendat, hæc thronus protegat.  
Togatis illa, hæc Sagatis decori est.  
Justum sit & pium, quod utile.  
Speciosi invenientur prætextus & colores,  
Quamdiu hastæ plumæq; non deerunt.  
Mustapha Ferraga  
Legatus Portæ Ottomannicæ,  
quæ vobis nuper inculcavit axiomata  
Christianissimi?  
Eadem forsan quæ olim tenuit  
Franciscus Liliger,  
Sed vah! quanta cum jactura honoris & fortunæ,  
Turcæ contra Christianos fæderatus,  
Turca a Christianis non melior habitus,  
Publica Imperii lege damnatus,

Chri-

Itar





Christianæ Reipublicæ hostis declaratus,  
Christianoq; nomine indignus judicatus fuit.

Cavete,

Ne & idem vobis obtingat, si perfidi estis.

Inter Christianos fidem perdidistis.

Videte,

Ut Turcis eam servetis, sed ut & illi vobis.

Neve in fossam aliis factam ipsi incitatis.

Sæpe in autorem scelera redeunt suum,

Gentibus omnibus

Sanctissima semper fuit juramenti religio.

Jurata servare regum, imo humanum est,

Cur igitur

Pacem Hispano tam sancte juratam violastis,  
Sine ullo juris fundamento, sola habendi libidine?

Lotharingiæ Regulum

Tum quiete viventem, nil tale cogitantem,

in media pace

Spoliastis, exturbastis,

Jugo intolerabili populum onerastis.

Et o indignum facinus!

Subditos fideliter Dominum defendentes

tractavistis,

Non hostium instar, sed instar latronum & rebellium.

Vinculis eos punientes, furca ac fustibus,

Ad metallum damnatos, atq; triremes.

Quæ barbara unquam furia talem erercuit rabiem.

Sane

Violatum hisce jus gentium

Vindictam Dei hominumq; implorat omnium.

Cæli

quænam vobis restet reverentia

Pyramis in Pontificis opprobrium erecta loquitur

Itane illum, quem Dei vicarium dicitis, tractare convenit?

B 2

Loqui-

Chri-

Loquitur etiam  
Sacramenti conjugalis  
Spurcissima violatio publica,  
datumq; tot myriadibus animarum perniciosum scandalum  
Factum fastuosa testantur symbala.  
Turca contentus Luna,  
Ipsi Solem sibi appropriant.  
Soli cunctis lucere, soli præesse Mundo cupiunt.  
Pluribus se non impares jactant,  
Cur non omnibus?  
Nec cessare, nec errare se Solis instar posse glorianur.  
Sed quid  
Si Josua aliquis hunc Solem sisteret?  
Quid si Luna eum deformaret, in conjunctione Ecclipticæ  
Jovis & aliorum Deorum tituli,  
Superbis olim adscripti Imperantibus,  
Certa instantis exitii erant indicia.  
Cogitate hæc  
Galli  
exhorrescite, detestamini, convertimini!  
sed surdo narratur & hic fabula,  
Sit ita,  
Quod vultis videri, fitis.  
Res hic nostra non agitur!  
Nos  
Patriam nostram salvam esse optamus,  
Vos autem  
Libertati bonisq; nostris insidias struentes,  
Vos  
Vicinos invidos,  
Confæderatos infidos,  
Amicos perfidos,  
Fratres degeneres,  
Tranquillitatis publicæ perturbatores,  
Imperatoriae securitatis insidiatores,  
Austriacæ felicitatis osores,  
Germanæ fidelitatis corruptores,

Justo

Justo prosequimur odio,  
Et indignos Germano nomine  
Indignos communis patria tutamine  
Judicamus omnes,  
Qui hæc vestra norunt facinora & comprobant,  
Exsurge, Deus,  
Deus juste, Deus ultor, Deus zelotes,  
Sceptraq; tua ferrea  
Ferreis monstra pectoribus, monstrosisq; Cyclopedibus,  
Sacratissimam Imperatoris nostri majestatem  
Contra tot horrendæ hostium conamina  
Juste & fortiter asseruisti hætenus.  
Protege & in posterum unctum tuum, Domine!  
Exsurge, Princeps,  
Ut æquissime, ita potentissime  
Et tot tantasq; injurias  
Domui tuæ illatas  
Juste & fortiter vindica:  
Imperium cælitus tibi concreditum  
animose contra expilatores defende,  
JOVA Protector tuus est.  
Venenata ac truculenta rebellium consilia  
Tua,  
Heros pietissime,  
Sancta innocentia  
enervavit & enervabit in posterum,  
Hostium inveteratorum  
Augustissimæ stirpis Habsburgensis  
Turcæ & Galli  
publica secretaq; molimina  
Tua,  
Leopolde Auguste Inclyte,  
vertat pietas, fortitudo, prudentia,  
Leopoldus  
hinc  
Pello duos

B 3

Omen

Omen in nomine,  
cui robur addat Altissimus!

Exsurgite,

Exsurgite,

Germaniæ Antistites,

Semptemviri potentes,

Duces validissimi,

Satrapæ fortissimi,

Civitates opulentissimæ!

Ponderate,

Sed sine præjudiciis,

Præterita, præsentia, futura:

omnia fere

flebilis, periculosa, horribilia.

Perpendite

Non fortitudine Gallorum & prudentia,

Sed nostra nos perire avaritia & discordia.

Cogitate

*Tela prævisa minus nocere.*

*Pecuniam rerum gerendarum nervum esse.*

Sine hoc nervo elumbem fore omnem Gallorum astutiam.

Trutinare,

Sed ut Germanos decet,

Richeliana, Sulliana, Mazariniana, Colbertina,

Auberiana, Balzaciana, Bonairiana, Dilainiana,

aliorumq; publici juris

facta consilia.

Exploratorum in aulis vestris residentium,

variis machinationibus vobis insidiantium

observate verba, actiones, intentiones.

Indubitatum vobis esto Principium,

Pace carituram & quiete Germaniam,

quamdiu Gallus & Turca floreant.

Originis vestræ,

Dignitatis vestræ,

Libertatis vestræ

memores estote.

Cæsar

Cæsar  
Regum & Leonum Imperator audit,  
Gallus

Servorum & asinorum  
In servitute gloriam, in absoluta potestate  
Dominantis libertatem ponentium.

Dicite,  
Utrum fortibus ac cordatis viris decori sit,  
Veneris mancipii mancipia fieri?

Utrum  
Aquilæ Regiæ, an Gallo asinine parere præstet?

O Populares!  
Revocate antiquam concordiam.  
Miseremini miseriæ publicæ.  
Miseremini mox agonizantis patriæ.  
Miseremini libertatis vestræ.  
Miseremini conscientiarum vestrarum

Salus pupuli,  
Securitas Imperii,  
Suprema lex esto.  
Maledictus sit

quisquis opus Domini, Imperii negligenter facit.

Qui privatum commodum bono populi  
sibi commissi per avaritiam  
præfert

anathema esto!

Qui privato inductus odio vicinum oppressum  
deserit, hostisq; hoc modo auget

potentiam,

anathema esto!

Qui arrha vel spe corruptus svadæ inimicæ  
blandientis facilem præbet

aurem

anathema esto!

Qv̄

AK Tn 818

Qvi litem ex lite trahens variis dubiis & perpetuis  
deliberandis concordiam statuum  
rumpit,

anathema esto!

Qvi summo capiti in justis & æquis  
parere obstinate recusat,

anathema esto!

Qvi aureum Statistarum vitulum postposito Deo &  
Republica irreligiose adorare  
pergit,

anathema esto!

Qvi tranquillitatis Christianos inter conservandæ  
gratia icta fœdera rumpere

fatagit,

anathema esto!

*Breviter:*

Qvi ita Deo placere studet,  
ut non offendat Diabolum,

anathema esto!

Hisce

Valete

Populares

&

Si veri Germani estis

applaudite.



VAT 7

21



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8  
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

**KODAK Color Control Patches** © The Tiffen Company, 2000  
**Kodak** LICENSED PRODUCT  
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

